



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 66.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

Ante-venire solet bonus, & praevertere voces,
 Indulgens quaecumque petunt, & plura petitis.
 15 Felix, o felix tempus, quo calidus acta
 Candida pax Domino terras miserante, redibit,
 Perque omnes rerum partes concordia gliscet
 Aeterna, & vinclis solido ex adamante reuincta:
 Nam qui nunc nullo possunt miscere cultu,
 Tum posito cicures discent mansuescere rictu:
 Tum lupus & montes & deuia lustra relinquens,
 Iam non carniuorus placidos comitabitur agnos;
 Et leo, cum vitulis caprisque impune vagatus,
 Nocte domum rediens sepio claudetur eodem,
 Assuescetque regi simul, & puerilia blandus
 Imperia accipiet, ductumque sequetur herilem,
 Cum bubus faenum & paleam ad praesepia mandens:
 Quinetiam virus serpentibus excidet atrum
 Contentis summam pro sanguine lambere terram.
 Denique nulla necans morsu fera, nulla veneno
 Noxia, nulla meo mala gramina monte legentur,
 Monte meo, quemque ipse colo, coluique, colamque.

Similes tropi
 sunt apud
 Virgiliū Eclo-
 ga quarta, ubi
 describitur au-
 reū sacculum
 ex carmine
 Sibyllae.

Cap. 66.

Redit Pro-
 pheta ad Iu-
 dæos; & hoc
 potissimum
 agit, ut abdu-
 catos à car-
 nali amore
 templi & le-
 gis Moisaicae.

Nam mihi (quod nolim vos ignorare) supremi
 Maxima pro solio deseruit machina cali,
 Et pedibus deiecta meis subsellia prabet
 Omniparens tellus: & vos mihi ponere templum
 Maiestate mea dignum fortasse putatis?
 Quò mihi marmoreis domus hac effulta columnis
 Erigitur? nil vos, nil vestram demoror adem.
 2 Hæc domus, hæc moles operoso vertice surgens,
 Nostrū opus est. ipse hæc ego marmora vasta, trabesq;
 Calcemque lateresque meo de monte cecidi:
 Et quisquam hæc mihi grata putat, meritoq; reposcit?
 Odi ego turgentis animos inflatæque corda,
 Nec mihi qui falsa pietatis imagine gaudet,
 Lethiferumque sinu virus tegit, ille placebit.
 Ad quem igitur placidis oculis vultuque sereno
 Respiciam? quem nempe inopem abiectumque videbo
 Cum precibus lacrymisque meam deposcere pacem,
 Sermonesque meos preceptaque sancta trementem:
 His ego delector sacris, hæc victima nostrum
 Sola suo nidore potest lenire furorem.
 3 Nam mihi maculati qui porrigit exta iuueni,
 Aut aliud pecus inuisis obruncat ad aras,
 Thuraq; dat templis, oneratq; altaria donis,

l 2

Tam

25 Lupus & agnus
 pascetur simul, & leo
 & bos comedent pa-
 leas, & serpenti puluis
 panis eius: non noc-
 ebunt neque occident
 in omni monte san-
 cto meo, dicit Do-
 minus.

Cap. 66.

1 Hæc dicit Domi-
 nus, Cælum sedes mea,
 terra autem scabellum
 pedum meorum: quæ
 est ista Domus quam
 edificabitis mihi? &
 quis est iste locus qui-
 tis meæ?
 2 Omnia hæc manus
 mea fecit, & facta
 sunt uniuersa ista, di-
 cit Dominus. ad quæ
 autem respiciam, nisi
 ad pauperculum, &
 contritum spiritu, &
 trementem sermones
 meos?
 3 Qui immolat bo-
 uem, quasi qui inter-
 ficiat virum. qui ma-
 culat pecus, quasi qui
 excerebret canem.
 qui offert oblationem,
 quasi qui sanguinem
 suillum offerat. qui re-
 cordatur thuris, quasi
 qui benedicat idolo.
 Hæc omnia elegerunt
 in viis suis, & in abo-
 minationibus suis a-
 nima eorum delecta-
 ta est.

Tam placet, ac caeso si tingeret hospite cultros,
Aut vetito catuli cerebro, porci-ve litaret
Visceribus, mutò-ve daret sua munera trunco.

Hac tamen, hac & plura nihil mea verba timentes
Fecere Isacida; suaque ultro inuenta secuti,
Nullum non animo scelus admisere nefando;
Pro quo suppliciis illos vlciscar amaris.

Unde & ego eligam
illusiones eorum: &
quæ timebant, addu-
cam eis: quia vocavi,
& non erat qui respõ-
deret: locutus sum, &
non audierunt: fece-
runtque malum in
oculis meis, & quæ
nolui elegerunt.

5 Audite verbū Do-
mini, qui tremitis ad
verbum eius: dixerūt
fratres vestri odientes
vos, & abiiciētes pro-
pter nomen meum:
glorificetur Domi-
nus, & videbimus in
latitia vestra: ipsi au-
tem confundentur.

6 Vox populi de ci-
uitate, vox de templo,
vox Domini reddentis
retributionem ini-
micis suis.

Et ne vana sibi credant hac fingere somnum

Obscura quem nocte videt presaga mali mens,

Efficiam, immittamque illis quæcunque timebant.

Ecquis enim inter eos magna me voce vocantem

Atque adeo coram presentem & multa monentem

Audit, aut responso aliquo dignatus amantem est?

Omnes hortantem fugere, & cuncta videntem

Nil veriti, peccare palam pro laude putarunt,

Iussaque praua sequi nostris contraria iussis.

At vos, qui tremitis fidi ad mea iussa ministri,

Accipite hac animis, & pectore discite toto,

Ite viri, pariterque animis certantibus ite

Munus ad inceptum; nec vos remoretur euntes

Impietas fratrum qui vos odere, meumque

Inuidia stimulante parant excindere nomen:

Neu quis ob has voces ad opus mihi segnior ito,

Mendaci quas ore vomunt, ac talia iactant:

Nunc eat, & sese nobis persuadeat auctor

Esse Deum, quem vos, impostrix turba, creatum

Patre Deo, & missum seruando fingitis orbi:

Ille decus, quod nunc falso sibi vindicat, & clam

Emendicatos, si quos habet, edat honores:

Ille affectati scelus intolerabile regni,

Si potis est, insigni aliquo nunc diluat ausu,

Promissosq; representet tam saepe triumphos,

Vt per eum tandem (nam sic memorare soletis)

Seruati, lata communem voce parentem

Et seruatorem Dominumque Deumque canamus.

Hac illi: sed vos stolidi hac conuicia surdis

Auribus excipite: ecce atrox vindicta propinquat.

Tempus adest, quo gēs hac magno optauerit emptum,

Dente suo me non tactum, linguæque procaci.

Ecce pedum fremitus sonat, ecce hinnitus equorum,

Vngulæque horribili quatiens tua strata sonore,

Cadentumq; virum clamor, gemitusque cadentum,

Infelix Iudæa, tuas nunc verberat aures.

Iamque

Ad Apostolos
& alios qui ex
Iudæis credi-
derunt.

Loquitur de
excidio Hie-
rosolymorū
per Titum;
quasi iā præ-
sente.

Excidium So-
lymorum sub
Tito.

Miscet cōmi-
nacioni con-
solationem,
more suo.

Ecclesia sub-
tō & inau-
meros parit
Christo per
verbi prædi-
cationē. Vide
Act. Apōst.
cap. 2.

*Iamque faces ad tecta volant: non prospicis hostem
Rupta reposcentem violati fœdera pacti,
Reddentemque tibi dignas me vindice pœnas?*

*7 Ante tamen facili nixu, nulloque labore
Feta Sion, nondum partu matura propinquo
Edet onus, pulchrūque marem, mea semina, fundet.
In quo, mira loquor, spes reliquæq; beati
Conseruabuntur generis, totūque per orbem
Attollet nostri sese noua gloria sæcli.*

*8 Tam subito vinculis alui peperisse remisus
Ante diem nulla mutilatum parte puellum,
Quis fando audiuit, quis scripto prodidit unquam?
Nam nec terra parens, qua fœtum concipit, illa
Reddere luce solet, nec partu effunditur vno
Multorum populus capitum; tamen ecce leuata est
Facta parens Solyme, votūque puerpera gaudet.*

*9 Palluit attonita similis natura, suāsque
Indoluit verso mutarier ordine leges.
Desine mirari (dixit Deus) & quod in isto
Natali monstrum est? aut qua nouitate moueris?
Inuidisse velit quisquam mihi, si quid amicus
Humano generi foueam pariamque quod orbi
Vtile sit? pariendi auct̄or qui sum omnibus, & quæ
Aëra, quæ terras, quæ pontum animalibus implent,
Ipse effetus ero, & sterili sine semine vena?*

*10 Imò age, quicumque es, matri gratare Sioni
Quisquis amas illam, lugēsque instantia fata,
Quæ genus omne ferè ad cædem pœnāsque reposcunt:
Gaudete hoc vno stirpem sobolēque futuram
Stare puerperio: felices tēque quaterque,
Felices, si quid possunt mea carmina, cuna.*

*11 Felix & mater, felices vos quoque nati,
Qui dulci gremio reptatis nota petentes
Vbera, & emuluis lac sugitis omne papillis,
Lac cælo manans, lac nect̄are dulcius omni,
Quo sedare sitim non est præsentior alter
Potus, nec mæsto solatia ferre dolori,
Et tristes melior lauere agro pect̄ore curas.*

*12 Ergo letitias & opes ne spernite vestras
O fortunati, sed plenis frontibus ora
Proluite, atque ad eò vos totos fontibus imis
Mergite, letitiæq; voluptatisque, bonæq;
Pacis abundantes fluiuos, quos larga propinat*

7 Antequam parturi-
ret, peperit: antequam
veniret partus eius,
peperit masculum.

8 Quis audiuit vn-
quam tale? & quis vi-
dit huic simile? nun-
quid parturiet terra
in die vna? aut parietur
gens simul, quia
parturiuit & peperit
Sion filios suos?

9 Nunquid ego, qui
alios parere facio, ipse
nō pariam, dicit Do-
minus? si ego, qui ge-
nerationem cæteris
tribuo, sterilis ero, ait
Dominus Deus tuus?

10 Letamini cum Ie-
rusalem, & exultate
in ea omnes qui dili-
gitis eam: gaudete
cum ea gaudio vni-
uersi qui lugeris super
eam,

11 Ut sugatis, & re-
pleamini ab hubere
consolationis eius: vt
mulgeatis, & deliciis
affluatis ab omnimo-
da gloria eius.

12 Quia hæc dicit
Dominus, Ecce ego
declinabo super eam
quasi fluuium pacis,
& quasi torrētem in-
undantem gloriam
Gentium, quam su-
geris: ad hubera por-
tabimini, & super ge-
nua bladiētur vobis.

*Dextra Dei, iam iamque vndas haurite perennes
Diffusas totum torrentis more per orbem.*

*Ipsa manu blanda genitrix ad pectora pressos
Gestabit, colloq. manus & mollia nectet
Brachia, & amplexu dulci, per suaue fouebit*

13 Quomodo si cui
mater blandiatur, ita
ego consolabor vos, &
in Ierusalem consolabunini.

*13 Arridens: Tum vos maternis crescite in vlnis
Interea, officiumq. abs me sperate paternum.
Non ego vos inopes desolatósque relinquam:
Sed rebus praesens adero auxiliator in arctis;
Ipsi quid possim cupiamque videbitis vltro.*

14 Videbitis, & gaudet
it cor vestru, & of-
fa vestra quasi herba
germinabunt, & cog-
nosceatur manus Do-
mini feruis eius, & in-
dignabitur inimicis
suis.

*14 Tum penitus vestrum noua gaudia pectus inibunt,
Ostaque per, stupidósque artus, tenuataque membra,
Inuicta vires roburque calorque recurrent,
Vt viuax humor Solis calefactus ab aestu
Vere nouo sensim rediuuas serpit in herbas,
Inq. nouum facit exertas erumpere florem.
Scilicet his Domini manus atque potentia signis,
Et bonitas manifesta piis & amantibus aequi
Elucet, nec sana minus se prodit in hostes
Ira, truces flammata genas, oculósque minaces
Huc illuc torquens, & spirans naribus ignem.*

15 Quia ecce Domi-
nus in igne veniet, &
quasi turbo quadrigae
eius: reddere in indi-
gnatione furoré suu,
& increpationem sua
in flamma ignis:

*15 Qualis erit, nec longa mora est, cum sole supremu
Dante diem terris, vitas & crimina fontum
Anquiret iudex, super aëra turbinis in star
Flammiumo inuectus curru, quem plurima circum
Monstra fremunt, pallor, terrorq., timorq., tremorq.,
Et dira scelerum memores, & conscius horror.*

Repetit ean-
dem sententiã:
valde enim
cordi fuit idẽ
sæpè propo-
nere ne in o-
cio viuere-
mus.

16 Quia in igne Do-
minus diiudicabit, &
in gladio suo ad om-
nem carnem, & mul-
tiplicabuntur interfe-
cti à Domino.

*Ipse sedens oculis flagrantibus omnia circum
Lustrabit, fontésque probris incesset amaris,
Immanem spirans animo indignante furorem:
Mox dextra stringens gladium, leuâque sonantes
16 Intentans flammis, violento turbine stratos
Fulminéque attritos in tristia tartara mittet.
Magnus erit numerus. non si mihi ferrea centum
Ora sonent, numerum versu comprehendere certo,
Cunctaque pœnarum percurrere nomina possim.*

Ista referun-
tur ad futuru
iudicium ab
omnibus.

17 Qui sanctifica-
bantur, & mundos se
putabãt in hortis post
ianuam intrinsecus,
qui comedebant car-
nem suillam, & abo-
minationem & mu-
rem: simul consumen-
tur, dicit Dominus.

*17 Hic tamen ante alios tormenta horrenda subibunt,
Qui sua dum madidi celebrant sacra dira per hortos,
Infames inter lucos obscenâque lustra;
Purgari credunt, viuo si flumine corpus
Incaestum abluerint, stuproque recente calentes,
Ter sumptus de fonte liquor resperferit artus.
His etiam accedent, nec certè mitius illis
Ardebunt, qui se vetitis addicere sacris*

Non.

Non veriti, ore suem mandent murèmq; prophano,
Heu male persuasi præscriptos spernere ritus.

¹⁸ Scilicet huc veni caelesti missus ab arce,
Ut vitas solum manifestaque crimina quæram?
Immo iuvat fixos oculos in pectora prorsus
Inserere, & sanas intus deprendere curas,
Clausaque scrutari propius, nil linquere opertum,
Nil non detectum, seu sit Iudæus apella,
Seu Græcus, mihi nullo omnes discrimine coram
Sistentur, vultusque meos, si tollere contra
Fortè ausint aciem, maiestatemque videbunt.

Figurata locutio est: cui enim signum aliquod cauterio inustum est, facile dignoscitur: sic electi signati ab impiis agnoscuntur; impij verò confunduntur.

¹⁹ Interea mihi seruos, signoque notatos
Per mare, per terras, totum ire iubeo per orbem
Legatos: alius sitientes ibit ad Afros,
Lydia regna alius, doctos hic tendere neruum
Cappadocas Thracasque petet: nec Græcia morum
Optima formatrix, nec tu cui bellica virtus
Imperium iam promittit terræq; marisque
Italia, ô tellus armis memoranda virisque,
Explodes ad te missos cum pace prophetas.

Diuersi diuersa petent, gentesque remotas,
Et quas Oceanus propioribus alluit undis,
Quasque procul fluctu velut indignante relinquit,
Non audita prius non intellecta docebunt
Sacra sequi, numenque meum nomenque vereri.

Et paucis (sic inisi etenim) voluentibus annis,
²⁰ Mille mihi populos ultrò sua nomina dantes
Tam linguis varios, habitu quam vestis, & armis,
Hos in equis, illos biuigis, hos curribus actos
Quadriugis, alios mulorum terga prementes,
Sub signis ducent victricibus, & Solymorum
Templo immortalis donum immortale sacrabunt.
Tam gratum mihi, quam sacras dum pauper ad aras
Puram vase molam puro delibat, & vitro
Primitias patrij templo deportat agelli.

Augustinus intelligit hic sacerdotes, quales ab Episcopis ordinantur.

²¹ At quos ex illis vsuque fideque probatos,
Ad nostrum munus, linguisque animisque parari
Conspiciam, pars sacra ferent, pars ore disertio,
Regibus & populis mysteria nostra recludent.
Nam veluti mare veliuolum, terræq; patentes,
Et cælum, manuum monumenta operosa mearum,
Obsequium præstant æternum, meque iubentem
Respiciunt semper, nutumque sequuntur herilem:
Sic vestrum genus, & series ventura nepotum,

¹⁸ Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum: venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam.

¹⁹ Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint, ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus,

²⁰ Et adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus, quo modo si inferant filij Israël munus in vase mudo in domum Domini.

²¹ Et assumam ex eis in sacerdotes, & leuitas, dicit Dominus:

²² Quia sicut cæli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semine vestrum, & nomen vestrum,

Per-

Perpetuò mecum supera regnabit in aula,
Assistensq; sacro solio, mea iussa capeffer.

23 Et erit mensis ex
mense, & sabbathum
ex sabbatho: veniet
omnis caro vt adoret
coram facie mea, di-
cit Dominus.

23 Tum tuba nulla nouis indicet festa Calendis,
Nec noua post sextum referet mihi sabbatha solem
Orta dies: nam secla vices aterna recusant,
Nobisq; ignorant, aestusque hyemisque niuosas:
Ver ibi perpetuum, lux pura, perennia festa,
Et chorea, & plausus, nullo turbante tumultu,
Solennisque dies semper, quos læta piorum
Non intermisso celebrabunt agmina cantu.

Iamque procul curis positi mortalibus, vnum
In me oculos, in me conuertent ora, nec illis
Aut oculi expleri poterunt aut ora tuendo.

24 Et egredientur, &
videbunt cadauera vi-
rorum qui præuarica-
ti sunt in me: vermis
eorum non morietur,
& ignis eorum non
extinguetur: & erunt
vsque ad satietatem
visionis omni carni.

24 Parte alia stragem ingentem, proiecetque campis
Corpora caesorum, auersi nec fronte serena
Despicient, quos olim ausos, dum vita manebat,
Nullum non immane nefas, ausosq; potitos,
Mèque etiam aggressos patrio detrudere calo,
Fulmine præcipientes sub tristia tartara mittam.
Supplicium quæris? iecur immortale, cæcæ
Semper victuri tundent, secundaque pœnis
Viscera corrodent, nostroque alimenta furori
Suffectura dabunt; nec erunt sine fomite flamma,
Flamma viuaces, insopiti que vapores.

Vermis ha-
bet tropum
male cōscien-
tiæ, sed ignis
sine tropo ac-
cipiendus est

Hæc ego de calo, miseranda vel hostibus ipsis,
Dêque meis olim spectacula montibus edam:
Spectabunt iusti lassabunturque videndo.

FINIS.

EPILOGVS AVCTORIS.

Hæc ego, cum licuit mihi me per tempora furtim
Surripere, & turbam vitare, forumq; canebam,
Ingratam accusans sortem, miseransque vicissim
Ipse meam, cui haud posse datum est ignobilis otij
Dulcem ad secessum genio parere vocanti,
Nec perferre vagi curas aestusque palatij,
Et quas nunc alit vrbs insanæque curia lites.

Sape equidem (quid enim prohibemur vera fateri?)
Sape cliens, quamuis multo grauis ære veniret,
Elusus postico, abiit, tristiisque gemenstq;
Nulla domum responsa tulit, dum me sibi raptum
Diuisumque tenent dulces ante omnia Musa,
Arctoque amplexu stringunt retinentq; volentem.

Sape etiam (quid non teneris innatus ab annis

Suadet